

N. 80

Hung III. 4

116

~~K. V. 221~~

EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

IV. B. 85.

SIGNAT. c1o1oCCCXIII.

Hung. III. 4  
a. j. fehlt bei hats  
B. Hats III. 1163.

Ms. 61. 1795

ORATIO

De nobili quaestione  
Politica:

AN ET QUOMODO JU-  
venes in consilium sint ad-  
hibendi, &c.

Wittebergæ in Collegio  
Oratorio.

*Illustrissimi Dn. Comitis,*

EMERICI THUR-

ZO DE ARWA &c.

Rectoris p. t. Academici, &c.

*Præsides*

M. JEREMIA SPIEGELIO,

ipsius Illustriss. Magnificen-  
tiæ Studd. Ephoro &c.

*habita*

*à*

CAROLO à KOSTITZ

Nobili Silesio,

WITTEBERGÆ,

Typis M. Georgii Mulleri

Anno M. DC. XV.

ORATIO

Deus in excelsis

IN OMNIBUS

EMERITUS

ROBERTUS

Aug IV B 85

CAESARIS

AVGUSTUS

THEOPHILUS

ANNO MDCXV

*Magnifico, Nobilissimis Strenuissimisq;*  
VIRIS DNN.

ANDRÆ à Creutz/ Domino Hæreditario  
in Westfalen/ &c. Ducatus Borussiae Consilia-  
rio Provinciali, & Capiteo in arce  
Fischhausen/ dignissimo, &c.

ADAMO à Güntersberg/ Dn. in Calles &  
Güntershausen/ &c.

JONÆ ab Dilschnitz/ in Kriegsdorff/ &  
Westmar &c.

*Dominis Agnatis & Patronis suis æter-*  
*num venerandis &c.*

D. D. D.

Carolus à Kostitz, Nobil. Sil.

**Q**uemadmodum quæ in usu  
sunt, & manum quotidie tan-  
ctumq; patiuntur, nunquam pe-  
riculum situs adeunt: Ita maxima vestra  
beneficia, frequente cogitatione me-  
cum renovata, oblivionem subire nun-  
quam possunt. Quicquid enim vel auri-  
bus vel oculis hic usurpo, imò vel ipsi  
parietes mei, illorum admonere me vi-  
dentur. Quod enim Vulgo exemptus &

A 2

Lite-

Litterariæ in Academiâ societati inser-  
tus sum, id omne vestri est beneficij. Ve-  
strum est, quod eruditissimos in omni  
doctrinæ genere viros audire, quod  
summæ virtutis & prudentiæ exempla-  
ria illustrissima intueri mihi & sequi li-  
cet. Vestrum deniq; est, quicquid sum  
aut aliquando futurus sum. Quod dum  
mecum perpendo, tantumq; cuiq; acce-  
ptum referendum, quantum acceptum,  
cogito: Obstupesco planè tum ad cre-  
dita, tum ad debita. Illa enim meritis  
hæc viribus & facultatibus longè sunt  
majora superioraq;: Adeo quidem ut  
nequeam Benefactoribus meis aliter re-  
spondere, quam AEschinem fecisse legi-  
mus. Qui, cum reliqui commilitones  
multa pro suis quisq; facultatibus Socra-  
ti Præceptori offerent; pauper auditor  
nihil, inquit, dignum te, quod dare tibi  
possem, invenio, & hoc modo, paupe-  
rem me esse sentio. Itaq; dono tibi,  
quod unum habeo: ME IPSUM. Nec  
ego MAGNIFICE NOBILISSIMIQ;  
VIRI quicquam invenio, quod meritis  
vestris

vestris immortalibus dignè reponere  
possem: eaq; sola egestate pauperem me  
sentio esse. Itaq; quod unum habeo,  
reddo: vobis ME IPSUM. Quod qualecunq;  
aut quantulumcunq; munus bene-  
volo animo accipiatis, utq; hactenus  
consequistis, amare ac benigne fovere  
pergatis, etiamatq; etiam oro. Quod  
si rudiusculus vobis videbor & nondum  
tantorum virorum aditu satis dignus:  
Vestro meoq; bono futurū est, si in Aca-  
demiā diutius ingenium meum expolia-  
tur excolaturq;. Interim verò mitto hanc  
orationem tanquam censum quendam  
litterarium quo publicè profiteor, ME  
VESTRVM ESSE, VOBISQ; ME TO-  
TVM DEBERE.

Quod reliquum est, divinæ prote-  
ctioni atq; benedictioni vos vestrasq; fa-  
milias Nobilissimas commendo: sup-  
plex DEVM veneratus, ut tantos mihi  
Patronos ac Mecænates salvos & in cou-  
mesquàm diutissime seruet. Wirteber-  
gæ Prid: Calend: Januar: Anni 1616.

*Vestrar. Magnif. & Nobiliss. dignitatum*

*Observantissimus*

*Carolus à Kostitz Nob. Siles*



*Ad Nobilissimum juvenem*  
Dn. Carolum à Kostitz,

**Q***uid multis opus est inquirere, CAROLE, verbis,  
Vtiliusne senex consulat, an juvenis.  
Exemplo ipse tuo docuisti sapè juventam  
Vtile consilium nec-juvenile dare,*

M. Jeremias Spiegelius, Illustris-  
simi Dn. Comitis E M E R I C I  
T H U R Z O de Arvva, &c *Ἐφορῶν*,  
& Collegii h. Oratorii  
Præses.



ORA.







ORATIO

De quaestione,  
AN ET QVOMODO JU-  
venes in consilium sint ad-  
hibendi, &c.



**M**lustris Ma-  
gnifice, ac Gene-  
rose Comes, ut  
& cæteri viri ju-  
venes Nobilissi-  
mi præstantissimiq̃ue ; Magnum  
illum & invictissimum Imperato-  
rem Carolum Quintum nunquam  
ad arma prodiisse, quin in procin-  
ctu pallore quodam faciei mem-  
brorumque atque totius corporis  
levicula trepidatione certissima  
horroris indicia faceret, historiae  
testantur. Quod si igitur tanto

*Guiliel-  
mus Zeno  
carus in  
vita Ca-  
roli.*

Heroi, cujus pueritia inter arma  
adolevit, adolescentia in castris  
maturuit, virile robur in pugnis &  
conflictibus consenuit, armorum  
dubius eventus horrorem aliquem  
incutere potuit; quo tandem ani-  
mo me esse oportet, qui nec eru-  
ditionis laude, nec ingenii viri-  
bus, nec dicendi exercitatione in-  
structus, hanc oratorii muneris a-  
leam aggredi veritus non sum.  
Verum enimvero cum satis ardua  
aliàs sit hæc dicendi provincia &  
non nisi ab illis, *Quis meliore  
luto sinxit præcordia Tyan*, sub-  
eunda, tantum difficultatis illi in-  
super à vestro splendore Illustris  
Magnifice, ac Generose Comes,  
virique juvenes Nobilissimi præ-  
stantissimi que accedit, quantum in  
exercitationis tenuitas virium  
detrahere potest. Sed illa et-  
jam via qua reliqui minus exerci-  
tati homines ad materias vulga-  
tas & cujusvis judicii censura so-  
lubiles confugere consueverunt,  
mea mihi temeritate præclusa est.

Non

Non enim cum Synesio de Calvicio, quod quis laudet an vituperet perinde est: Nec cum Erasmo de Infania, quam nemo sanus unquam laudavit. Nec cum Platone de virtute, quæ omnium semper ornata encomiis. Sed de re oppidò difficilima summeque in republica benè constituenda, necessaria, dicturus sum: *an videlicet Princeps & quatenus in numerum consiliariorum juvenes admittere debeat.* Digna eruditæ vestris auribus materies, & digna profecto eruditioris aliqua ingenii, quam in hanc nostram cadere ætatem potest, exercitatione: Sed tamen quid ista de re mediocritas diligentia nostræ observaverit, dum in medium proferre atque iudicii nostri, quod sane quam exiguum sit, ipse non ignoro, sententiam edisserere vobis studeo: Vacuis ut Illustris ac Magnifica Generositas tua ut & vestra nobilis præstantia mihi adesse auribus ne dedignetur, majorem in modum eâ, qua par est submissione oro & obtestor.

A s Ante-

Antequam autem progrediar  
operæpretium facturum me arbi-  
tror, si vobis primum discrepantes  
& veluti inter se certantes politi-  
corū opiniones paucis explicave-  
rō; non quod hæc vobis ignota ef-  
se arbitror: sed quia ita orationis  
meæ filum commodius pertexi  
posse confido. Sunt igitur non-  
nulli qui simpliciter senum consi-  
lia à principe spernunt, deliria po-  
tius existimantes illorum respon-  
sa, quam consilia. Quid enim, in-  
quiunt, quænam ætate & annis de-  
cocta ejusmodi ingenia proferent  
consilia? Nonne ipsa illorum ju-  
dicia, quod Livius etiam testatur,  
una cum corpore torpere & Gal-  
lica Petronii nive frigidiora esse  
necesse est?

*Epist. 6.*

Quot verò senes reperiuntur in  
quibus non anni pueriles, sed ipsa  
puerilitas remanet? inquit Seneca.  
Quod si quædam ex longo usu &  
varia experientia illis superest  
prudentiæ scintilla, quæ tamen  
quotidie decrefcentem senilis me-

morix

memoriae vigorem considerantibus  
quantilla esse possit facile apparet;  
verendum maxime ne in pertina-  
ciam, aut ut ille ait, obstinantiam  
conversa, miserabile principi aut  
patriae concitet incendium. Cum  
enim potius memoria praeterito-  
rum, quam vel sensu praesentium,  
aut spe futurorum decapulares  
isti vivant senes, omnia ad vetu-  
stioris experientiae lineam, non at-  
tento praesenti temporum & Rei-  
pub. statu, exigunt, & salutaria saepe,  
contraria suadentium consilia  
canitiae & annorum noxia aucto-  
ritate obruunt.

Porro cum plerique senum  
Longa vita didicere magistra  
quam facilis sit jactura bonorum,  
quamque nimis avariter lusca illa  
Antii diva saepe una hora multo-  
rum annorum absumat patrimonium,  
noxias avaritiae, quam nulla capi-  
talior Reipublicae pestis, succen-  
duntur facibus, quibus exagitati  
omnia ad privatam utilitatem  
consilia dirigunt: de publica non

minus

*Hippolitus  
à Collibus.*

minus atque sus illa occisa apud  
Plautum solliciti. Tandem, cum vi-  
ta Mancipio nulli detur, omnibus usu, &  
propterea veluti debitum naturæ  
tandem reddenda sit, instat illa  
ceu fœneratrix & in mora hæren-  
tibus illis nunc animum n. n. sen-  
sum, nunc utriusque facultates,  
tanquam pignora, adimit. Unde  
alium de memoriæ infirmitate  
quiritantem, alium oculorum ca-  
liginem perspicillo sublevantem,  
alium ad os clamantis admota au-  
re, ecquid dixerit, interrogantem,  
alium febrili paroxysmo contabe-  
scentem, alium perpetuo languo-  
re flaccescentem & nil nisi Maro-  
nianum illud:

O mihi præteritos referat si Iupiter  
annos! ingemiscentem videas. E-  
gregios verò consiliarios! En tibi  
Atlantes quorum humeris publi-  
ca innitatur salus! En tibi quibus  
clavum & remos reipub. commit-  
tas! En quibus legationes & cum  
exteris tractationes injungas. Nec  
credo jam turpe erit illos cor &

decus

decus dici principis, qui nō nisi ali-  
eno corde sapiunt; illis summā rei-  
pub. concedere, qui nō nisi alienis  
vident oculis: illorū cervicibus o-  
nus imperii inniti, qui nō nisi alic-  
nis pedibus ambulant. Et hæc sunt  
illustris Magnifice ac Generose Co-  
mes, vosque cæteri viri juvenes  
nobilissimi præstantissimi que ver-  
ba eorum qui decrepitos senes à  
ponte suffragiorum & consilij  
præcipitandos esse arbitrantur:  
quibus è diametro, verioris & sa-  
nioris sententiæ sese opponunt  
alii: non tantum ridiculum sed o-  
mnino periculosum esse, si juve-  
nes principum consiliis intersint  
contendentes. Quorum opinatio-  
nem dum brevi narrationis deli-  
neatione cernendam votis subji-  
cio, quæso date mihi hanc veniā,  
ut quæ facilius ad rei veritatem  
perveniamus, paululum in illa  
mihi morari liceat. Et hic qui-  
dem variis variorum affectuum  
fluctibus concitato mari similem  
esse dicunt juventutem. Nunc

enim

enim illam imperandi cupidine  
inflammari, Nunc alio superbiae  
spiritu tumide sufflari; Nunc a-  
moris incitari stimulis, nunc odii  
atque irae amentari furiis: Nunc  
inconstantiae ventis circumagi:  
nihil in illa moderatum, nihil me-  
diocre; senionem semper jacere  
aut canem.

Cum enim magna juvenes  
abundent caloris copia, vehemen-  
tem temeritatis impetum illos  
semper comitari; praecipites igitur  
esse in consilijs, & ita principis &  
patriae salutem in summa saepe con-  
ijcere pericula: & quid multis hic  
opus est verbis? annon prudentia  
anima quasi consiliorum; annon  
auctoritas quasi Spiritus eorun-  
dem est; quorum utrumq; cum ita  
natura comparatum sit, ut in ju-  
veniles annos cadere non possit, si-  
lice lapide stultiorem eum esse o-  
porteret, qui salutare consilium ab  
ista aetate, exigat. Prudentia autem  
destitui juvenes vel inde clarum  
est, quod illam non nisi longa dies

& re-



& rerum variarum usus procreat:  
unde etiam veriverbium illud  
*prudentiam ante pilos non venire, vulgatum est.*

*Ex quo manifesto apparet,* auctoritatem quoq; quæ tamen secundum Fabium maximum in consilijs momentū habet, iuventuti non convenire; quippe quæ non nisi prudentibus actionibus, & venerabili, ut Plinius loquitur, canorum majestate acquiritur. Et esto: denrur juvenes prudentia & auctoritate excellentes, quod tamen fieri nunquam potest: ex his tamen *Senatum seu potius juvenatum* legere, non tantum ridiculum, sed & periculosum foret. Opinio enim est, quæ in vulgo dominatur & sæpe magis movet quàm res ipsa & recta ratio. Unde fit, ut raro aut nunquam ulli in juvenilem aetate prudentiã posse cadere persuadeatur. Nihil autē in republica pernitiosius, quam subditos de principe & ministris illius male opinari. Et hæc sunt momenta quibus pleræq; politicorum tribus persuasæ quoties renunciandi consiliarij

actio

actio est, non nisi senes in campum  
& suffragia venire posse statuunt.  
Alij contra instant & Jove tonan-  
te talismodi collecta suffragia tan-  
quam augures obnunciant, cum  
que utrinque erratum sit, nulla illo-  
rum ratione habita, mediam am-  
plectendam viam censent: Ita qui-  
dem ut Senum consilia non a-  
spernanda, si tamen Sexagesimum  
ætatis annum non excessissent, nec  
Senacula juvenibus claudenda, si  
modo trigesimum attigissent, di-  
cant. Juvenes enim inquirunt, ante  
trigesimum annum exerceri, Se-  
nes post Sexagesimum quiescere  
convenit. Natura insuper id argue-  
re videtur, quæ circiter quinquage-  
simum annum hominis intelle-  
ctum maxime vigere voluit, post  
sexagesimum imminui rursus, &  
ad puerilem simplicitatem relabi.  
Quod cum intelligerent Romani  
neminem ante vigesimum quin-  
tum ætatis annum magistratum  
capere voluerunt, ut ex ll. municipi-  
alib. illorum apparet, Postea ve-  
ro Trajani tempore arctatae sunt

leges

*in l. ff. de  
decur. l. 8.  
de mun.  
& hon. l.  
2. de va-  
cat. mun.  
Plinius in  
Paneg.*

Comitis EMERICI THURZO  
C. P. de Arwa &c. Rectoris p.t.  
Academici &c.

ORATIO I.

Quod deceat &  
expediat, ipsum Princi-  
pem jus dicere: Contra BODI-  
NI opinionem potissimum, exer-  
citiū causa habita.



*Um omni hominum  
generi turpis detestandaq; est  
assentandi consuetudo; tum  
verò Philosophorum Schola  
indignissima. Quemadmo-  
dum enim horum proprium est virtutū omni-  
um vim naturamq; & docendo pertractare, &  
laudabilis vitæ exemplo præcurre: Ita alienissi-  
mum esse ab ijs debet servile illud adulandi stu-  
dium, quippe quo omnia virtutis & libertatis  
vestigia confunduntur diluunturq;. Utq; nec  
cupresso cerasa innascuntur propter amaritu-  
dinem; nec buxo propter duriciem: ita nec  
Philosopho adhereant assentationes blanditiæ,  
propter excelsæ professionis gravitatem con-*

stantisq; innocentiae severitatem. Quae cum  
ita se habeant, quid de illis iudicandum esse  
censebimus, qui cum & Philosophi audire  
velint, & ordine ac numero fortasse non sint  
postremi; infra canes aulicos & servile assen-  
tatorum pecus sese abijciunt; aulae tam impu-  
denter blanditi, ut praecipua officij parte, im-  
ferè toto illo magistratum levaturi, publicis  
scriptis asserant, Non modò necessarium,  
sed ne utile quidem esse, ipsum Princi-  
pem jus dicere. Mali noxijq; Reipubl.  
doctores, qui eadem opera & subditos rege &  
regem subditis privatum eunt. Digni propter-  
ea mihi visi, quibuscum hoc tempore atq; hoc  
in loco paucis placidisq; verbis agerem; ratio-  
nibus firmis demonstraturus, Nihil principis  
Majestati convenientius, nihilq; vel de-  
corum vel necessarium magis esse,  
quàm si jus ipsemet dicat reddatque.  
Quanquam autem dissimulare non possum, me  
summo cum pudore ad hanc orationem diffi-  
cultatis plenissimam, praesentibus doctis. Au-  
ditoribus habendam, accessisse: audaciorum ta-  
men, nescio quomodo, ad hanc disputationem  
suscipiendum reddit, rei de qua dicturus sum  
dignitas, neminiq; rectè iudicanti obscura ve-  
ritas.

Qui

Quis enim nescit, principatus finē non ipsum principatum esse, nec ideo principes dari, ut tantum principes & superiores sint, atq; ex altitudine illa q. è cœlo quodam subditos suos otiosi despectent: sed ut Iustitiā prudēter administrēt, iniuriam arceant & propulsent. Inde etiam Græci Reges suos Iudicum nomine appellarūt; Quod Æacus, Minos, & Rhadamanthus, qui quod equitate summā ius dicerēt, ab Iove sempiternū apud inferos iudicādi & imperādi munus adepti sunt, abundē cōfirmāt. Quin & Hebræorū Imperat. belli gerendi causa sæpe excitati, Iudices dicebātur. Cūq; Samuel iam consenuisset, populus non alium sibi Regem postulavit, quā qui aliorum Regum moribus iustitiam administraret. Dei enim in terris administri ac vicarij sunt. Ut igitur ille ab Orbe condito dispensat, & regit æstates, hyemes, anni tempora, fruges, fructus, usui nostro aut voluptati: cœlos, terras, maria omnia in statu & concordia, etsi maxime discordia, servat: parcit plurimū, interdū punit: verus pater, simul & Dominus generis humani: Ita illos decet omnia sibi subdita compositē regere. In altis ille sedet; sed humilia respicit: & principes in altum e-  
vecti sunt, supraq; alios elati; sed ita ut in subiectæ Reip. curam se demittant, & obliti: quodammodo sui, non vivant solum, sed &

Bodin. de  
Rep. l. 4. c. 6.

Iust. Lips.  
Monit. Poli-  
tic. l. 2. cap. 7.

*serviant universis civibus ; sepe ac plerunq<sub>3</sub> etiam singulis ; quemadmodum pulchrè & non sine numine, Tiberius Imperator in pleno senatu testatus est. Quæ res cum laboris ac tædij sit plenissima, viribusq<sub>3</sub> humanis longè superior ; singulari divini auxiliij subsidio indiget pariter atq<sub>3</sub> fulcitur. Deus enim est, qui tremendam quandam indidit Iudicibus auctoritatem ; ut non modo audiantur cum timore, sed etiam cum singulari quadam veneratione abditoq<sub>2</sub> amore : præsertim si Princeps personam iudicis ipse sustinet. Quanti enim illa sunt, non modo principem pro tribunali sedentem, tanquam numen quoddam intueri, audire ; sed & ab eo audiri, videri, & quod maius est, coram eo causam agere? Quæ non solum divinitatis cuiusdam existimationem ; sed & mirabilem erga superiores amorem in hominum animis excitant. Quid enim efficacius ad animos principum & subditorum coniungendos, mutuoq<sub>3</sub> amore conglutinandos esse potest, quam si & subditi intelligant, principem suæ curam non abiēcisse ; & princeps videat quàm filiali confidentiâ à subditis adeatur, & paternam opem imploretur. Quo vinculo, ut nihil Reip. utilius ; siquidem*

Non

Non sic excubiæ non circumstantia te-  
la.

Quàm tutatur Amore: — —

ita communitate ista sublata labascit & dis-  
solvitur omne Imperiorum robur & firmamē-  
tum. Expertus id est suo malo, & cum subdito-  
rum defectione DEMETRIVS Poliorcetes  
Macedoniæ Rex, qui per proterviam illudit et-  
iam supplicibus. Nam cum libellos adeuntium  
benigne in via accepisset, quasi lecturus & co-  
gniturus, mox cum ad pontem Axij fluminis  
venisset, excusso chlamydis sinu, omnes in sub-  
iectam aquam abiicit. Qua causa Macedones  
ad Pyrrhum transierunt, & Iustitiæ deserto-  
rem deseruerunt. Putabant enim miseri (nec  
falso fortassis) magnam sese vim & iniuriam  
pati, si magistratus supremi presentia exclusi  
soli pedaneorum iudicum, sub quibus sæpe ve-  
nalia iudicia, venales sententiæ proponuntur,  
libidini nunquam exsatiandæ relinquuntur.  
Magna sæpe iniuria minorum iudicum vel pre-  
tio corruptorum perversitas, vel gratia expu-  
gnatorum iniquitas, vel odio aut metu commo-  
torum inconstantia, vel iuris demum & legum  
ignorantia deplorandaq; inscitia est. Nec mo-  
di desunt, litigantes per infinitos & inexplica-  
biles processus illius artis, quam in compendium

Demetrius.

I. Lips. Mo-  
nit. Polit.

6.9.5.4.

Euphorm.

Satyr. l. 2.

Monit. Polit.

l. 2. c. 10.

redigere putavit, qui eius licentiam inter 50. libros coegit, multos per annos miserè & inutiliter exercendi. Vna aliqua lis Metonis annum tenet. Fit involucris legū, fit sordibus advocantiū: & cum perendinationes istæ ad questum & lucellum eunt, per Symplegedas navigatur Colchos ad aureū vellus, Lipsio dicente in sua de Legib. disputatione. His omnib. occurret principis Clemētia prudētiaq; si de suis populiq; negotijs ipse cognoscat, si miseris & afflictis aditus ad ipsum pateat. Sic n. os illud Iusticia & VIVA LEX, una sæpe voce, infinitas alioqui provocationes, supplicationes, evocationes, tot reorū subterfugia, tot litium dilationes, tot pragmaticorū fraudes, tot circumforaneorum clamores, tot iudicia iudiciorū varietate cumlata, finire; & quæ legū atq; formularū argutionibus intricabātur potius quàm expediebātur, uno verbo ad æquitatis regulā definire atq; decidere poterit. Cōpendiū hoc modo fit immensorū & laborū & sumptuū: excitatur iudicum vigilātia & attentio, coërcetur litigantiū improbitas & pervicacia: potentū etiam, in quos minores illi & delegati iudices nec oris nec roboris satis habent, superba coërcetur protervia. Expedi igitur, principē iudicādi consuetudinē ac iustitiæ vim animo penitus impressam habe-

re.



re, iurique dicēdo mature assuesieri semperque vacare. Siquidē ea Resp. beatæ sunt futuræ, ubi vel Iuris periti regnāt, vel qui regnāt, ius exercent. Nec video quid solidæ causæ afferri possit, quare qui imperāt, munus hoc suum refugiant. Quod n. asserūt, auctoritatē maiestatisque dignitatē cottidiano cōspectu vilescere; imitādos Persarū esse Reges, qui, ut maior sui esset observātia, penitus à populi cōsuetudine remoti, vilitatē sollicita admodū cautela effugissent: Id apud eos locū forte inveniet, qui leviter hinc inde vagātes, ad plebeias ineptitudines aut scurrilitates sese abijciunt. Ea verò præsentia, quæ iudicio debetur, tantū abest ut auctoritatē imminuat, ut eā potius vel gignat, si nulla adsit, vel si parva, augeat. Videm⁹ in cottidianis istis iudiciis, quā plebecula eos veneretur & timeat; etiam illa innoxia, & cui nihil cum ijs negotij est aut fuit. Bene à DEO ita facti sumus, vereri hoc numen, & nomen ipsum Iustitiæ, & quicumque ei administrant. Quantō magis in principe, si se non mandare tantum (in occulto id fit) sed exercere cum summa potestate, ostendat? docente iterum magno illo Principum Ducumque monitore, Lipsio. Sed ridiculè ad Assyriorū exēpla nos vocant, qui perpetuæ solitudini inclusi otiosam Maiestatem ineptis. gravitate damnarunt.

Iust. Lips.  
Monit. Polit.  
l. 2. c. 9. q. 1.

Quæ enim ista maiestas est, bonis aut afflictis  
 aditum sui præcludere; pellices contra (quod  
 pleriq; illorum fecerunt) agminatim recipere.  
 Quanquam & circa has, gravitatis suæ me-  
 mores, eam adhibuerunt curam, ut lecticâ o-  
 pertâ, cuius velum allevare nefas erat, merces  
 illas ad se deduci curarent; ne videlicet & ipsæ  
 à quoquam in Vrbe conspicerentur. Et fac bo-  
 num etiam Regem ita se includere; annon sub-  
 ditorum animos plus exasperabit, quam ad re-  
 verentiam sui commovebit. Etenim observan-  
 tia ex amore profluit, amor non nisi ex sensu  
 roboratur; eum enim ardentius deamamus,  
 quem ipsimet oculis usurpavimus, cum ignoti  
 nulla esse possit vel cupido, vel firma dilectio. Ut  
 taceam variarum suspicionum semina hinc  
 pronasci, dum ita anceps hæret subditorum de  
 Rege cogitatio; nec ullum esse ad fraudes &  
 technas expeditiorem modum. Quemadmo-  
 dum quidem de Comaride Mago historia fi-  
 dem faciunt, eum pro Mergide, cui regnum  
 post Cambysis fratris mortem cesserat, Oropa-  
 stem fratrem suum substituisse, nec tamen do-  
 lum subesse, quenquam suspicatum; nec ut ma-  
 ximè suspicaretur, detegi à quoquam potuisse,  
 propterea quod privatis sese parietibus assidue  
 Rex contineret. Tutius longè & salutaris est

B. Keckerm.  
 de Monar-  
 chia Persa-  
 rum.

Val.

Val. Maximi consilium, qui non conspectu, sed humili & trita conversatione vilescere censet Magnorum illustriumq; virorum auctoritatem. Obversantur oculis innumera laudatissimorum Principum exempla, qui presentia sui iudicij accommodata non modo existimationem maiorem, sed & immortalem gloriam sibi compararunt. Hinc in perpetua laude versatur Rex ille omnium Regum sapientissimus atq; prudentissimus Salomon: qui iudicandi arte divinitus quam sufficientissime instructus, sic eam usurpavit, ut omnibus tunc vivis amori, posteris admirationi esset. In laude est eritq; semper Augustus Caesar, qui ius dixit assidue, (ut ait Suetonius) & in nocte nonnunquam; tantaq; diligentia, ut ne morbo quidem impediri se passus fuerit, quod minus in lectica pro tribunali positam recubans vel domi etiam id ageret. Omnium seculorum predicatione digna fuit Caroli Magni ea consuetudo, qua praeterquam quod in oppidis passim & pagis communiter ius dicebat; imo interveniebant etiam extra ordinem Missi sive Delegati, qui idem faciebant: ipse tamen audire causas graviores hebdomadatim voluit. Idq; lege, quae extat, vulgavit: Hoc Missi nostri notum faciant Comitibus & populo, quod nos in

omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Populo autem dicatur, ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut Missi nostri, aut Comites, eis justitiam facere noluerint. Secuti & largius præter alios imitati sunt hunc Cæsarem Ferdinandus & Maximilianus, qui (ut ex Illustribus & Magnis viris audivimus) post prandium sumptum raro se in conclave suum receperunt, nisi auditis prius quibusvis supplicibus, ijsq; maxime, qui de læsione aut iniuria, causis suis à minoribus iudicibus interveniente, cõqueri habebant. In oculis & omnium laude hodieq; sunt Sacratissimi Rom. Imperatoris, atiorũq; Principũ exempla laudatissima, quæ omnibus pro lege esse, mihi pro ratione sufficere poterunt. Quid enim maius aut amplius dicerem, quàm quòd hi tanti prudentissimè senserunt hodieq; sentiunt, nihil esse Principe dignius, quàm publicum, id est, suum negotium agnoscere, iudicare, promovere, & exercere Iustitiam; Ea via & ad DEI similitudinem propius illum accedere, & populum sibi commissum rectè beatèq; gubernare.

DIXI.

ORA-

## ORATIO II.

Comitis EMERICI THURZO,  
C. P. de Arwa, & p. t. Rectoris  
Academici.

De peregrinis in  
Remp. non reci-  
piendis.

**S**apienter sanè Cræ-  
sus ad Cyrum, humanarum re-  
rum cursum rotæ instar esse,  
dicit, quæ circumacta semper  
eosdem fortunatos esse non si-  
nat. Ab æterno enim dictum, ne quid subluna-  
rium rerum perpetuò stabile ac æternum esset:  
Nec ab inconstantissimâ fortunâ impetrari  
unquam ullius votis aut precibus potuit, ut  
quicquam in hoc Orbe prospero feliciq; loco  
semper maneret. Imò nec maximis & optimis  
stabilitas datur; sed ipsis etiam  
Pulchris stare diu Parcarum lege ne-  
gatur.

Id quod evidentissimè in Imperijs rebusq; pub-  
licis conspicitur. Oriuntur, moriuntur; cres-  
cunt, decrescunt; florent, deflorent; vigent,

rigent;

Herod. l. 1.

*rigent ; certusq; limitibus velut carceribus gloria eorum circumscripta est. Adeo perpetua ista in omnibus rebus lex est, ut ad summum perducta, rursus ad infimum, & velocius saepe, quam ascenderunt, relabantur. Nihil publice stabile est ; tam hominum quam urbium fatavolvuntur. Nec enim harum interitum praecavere potest vel aedificiorum structura magnifica, vel praesidiorum vis inexhausta, vel gubernatorum prudentia, singularisq; vigilantia, vel quicquid tandem munimentorum industria hominum ingenia excogitare, quicquid artificiosae indefessaeq; manus elaborare possunt. Vbi reperies hodie Babyloniam ?*

Quam dicitur altam  
Coctilibus muris cinxisse Semiramis  
Urbem.

*Vbi Troiam, nulla vi, nec per decennium expugnabilem ? Numantia ubi & Carthago ? Olim haec florentissima fuerunt, nunc prostrata & diruta, ne rudera quidem vetera quaerentibus ostendunt. Sane*

*Osia.*

Clara fuit Sparte, magnae viguere  
Mycenae,  
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces ;

Vile

Vile solum Sparte est, altæ cecidère  
Mycenæ,

Oedipodoniæ quid sunt, nisi nomi-  
na, Thebæ?

Quid Pandoniæ restant nisi nomen,  
Athenæ?

*Cogitanti autem mihi. quæ tantarum, tamq̃  
subitarum mutationum causa esset: tum aliæ  
multæ se obtulerunt, tum verò hæc non mini-  
ma; Quando videlicet in Remp. optimè alio-  
quin tum legibus ornatam, tum etiam autori-  
tate præstantissimorum virorum armatam,  
adeoq̃, & iure religiosissimam, & viribus con-  
tra hostium insultus validissimam, gentes alie-  
næ seu peregrinæ recipiuntur, nec civitate so-  
lùm donantur, sed & honoribus & dignitati-  
bus præ reliquis indigenis afficiuntur ornan-  
turq̃. Quæ res, quantò cum periculò coniuncta,  
imò quam certissimo exitio Rebusp. sit, etsi per  
tot quotidianæ experientiæ monita, perq̃, tot  
historiarum exempla latere pot erat neminem:  
latet tamen non paucos, aut certè non multos  
ad cautionem, hac in parte, adhibendam mo-  
vet. Ita ut nulli mihi fraudi sperem futurum,  
si de periculo dicam, seu potius exitio præsen-  
tissimo, quod peregrinæ gentes ijs, in quas in-  
tromittuntur Rebuspubl. afferre solent. Et ini-*

tio

tio quidem palam est, Reipubl. corpus, si primam eius originem spectamus, non externis aut aliunde collectis membris compactum esse; Sed internis, ac domesticis elementis constare, ijsq; per maiora subinde incrementa, per gradus ac progressiones societatum in maiores crevisse: ita quidem, ut cum primò sola esset coniunctio mariti & uxoris, postea etiam tota domestica societas coaluerit, & ex ea integra familia gentilitia progressa, sic ut distinctis locis habitates, deinde pagos, postea oppida & urbes, deniq; provincias & regna constituerint. Nihil hic peregrini est, nihil exotici: domestica exordia, familiaria incrementa, amica augmenta, omnia intima & ex intimis. Quod si ergo, quibus res quæq; constat, iisdem etiã conservatur: nihil profectò ad Reipubl. corpus servandũ peregrinis opus est membris. Quæ, si quis adijcere velit, quid aliud fecerit, quàm

Horat. de  
arte Poet.

Humano capiti cervicem pictor equi-  
nam

Jungere si velit, & varias inducere plu-  
mas,

Undique collatis membris: ut turpiter  
atrum

Definat in piscem, mulier formosa su-  
pernè?

Apage



Apage à Republ. apage, cum horrendo isto de-  
 formiq; monstro; Uniformis illa sit, nec alienis  
 maculis turpiter deformetur. Suis sit contenta;  
 eorum robore murum abeneum præstabit, con-  
 traq; omnes insultus inimicorum fortiter re-  
 sistendo, sibi ut salutem, ita gloriam perpetuam  
 conciliabit. O iucundissimam & præstantissi-  
 mam vitam eorum, qui in vico Hispanico, cen-  
 tum domibus constante, vixerunt, omnes ab uno  
 sene, qui adhuc vivebat, teste Ludovico Vive,  
 progeniti! O vitam beatam! quæ cum nullis  
 exteris confusa, turbis etiam exterorū caruit!  
 Quid existimatis, Auditores, quæ concordia,  
 quæ unanimitas, cum summa vitæ iucunditate  
 cōiuncta, ab omniq; dissensionū labe immunis lo-  
 cū hunc inhabitavit? Nonne si facultas daretur,  
 una mecum talem vitā vobis deligeretis? nonne  
 vicū eiusmodi mecum incoleretis? Et meo quidem  
 iudicio, staret sanè quicumq; vellet alio & splen-  
 didiore loco, nos dulcis recrearet quies, leniq;  
 perfrueremur otio. Suavius est eam domū  
 incolere, quam maritus & uxor cum liberis,  
 cumq; servis & ancillis, aut in illa aut non pro-  
 cul ab illa natis, inhabitāt, quippe tranquillā &  
 iucūditatis plenissimā: quā cauponariā aliquā,  
 quæ singulis pænè horis, ut hospitibus novis, ita  
 metui ac periculis varijs est obnoxia. Præter

Super c. 8. l. 5.  
 Aug. de civ.  
 Dei.

quam

quam enim quod familiae officia turbantur, impediunturq; a divertentibus, varia etiam vitia varijsq; morbi inferuntur. Quae eadem Regnis & provincijs maximis, quibus vel semel peregrini sese illatebrarunt, contingere solent. Quis nostrarum omnium Rerumpubl. status, ex quo peregrinos accepimus hospites? Novos induimur mores, inq; novos & vestium & ciborum luxus mergimur: non aliter ac si alioquin nobis vitiorum non satis domi esset, cum tamen

— —Mali mores.

Quasi herba irrigua succreverint uberrimè

Nec quicquam hic vile nunc sit, nisi mores mali,

Eorum licet jam messem metere maximam.

ut Comici verbis utar. Aut quasi nudi incessemus, nisi novi illi vestificinae reformatores accerferentur, quorū ingeniosa inventioni iure adscribere possumus, illa superbiae vexilla, illos scilicet, ut illustris quidam autor appellat, thoraces v. ntricosos, aut omninò evisceratos, caligas follicantes, tibialia in rugas composita, pallia cucullis & manicis superbientia, collaria pavonum caudas emulantia; stolas femina-

rum

Plaut.  
Trinummi.

Lans. in  
Consultatione de principatu inter Provinc. Europae.

rum fluentes, sinuumq; multiplici nexu industrie crispatas, & circa femora farciminibus monstrosis, vel circulis ferreis, ad brachia reclinanda, aut vitium uteri celandum suffultas, capitis cirros, tutulos, & adoptivæ comæ suggestus, colli vallum, linei candoris radios, unonium auriq; non iam ornamenta, sed onera: aurium vulnera & elenchos, calceos turritos, & reliqua vel sexcenta stultitiæ Schemata. Frustra metuunt nostri homines, ne vestes suæ cōputrescant, si non indies atq; in horas, sic à novis illis magistris edocti, mutent, & quas mane gestare cœperunt, vesperi pro obsoletis habeant; id demum circa cultum corporis magnificentum splendidumq; ducentes, quod diu splendidum magnificentumq; esse non potest, ne videlicet novæ semper sumptuum occasiones desint. Nec fame credo emaceraremur, nisi novi illi culinae magistri novas dapes, novaq; convivium, illa inquam palati irritamenta, exotica condimenta, fugatâ antiquâ frugalitate, adinvenissent; ciborumq; varietate, ferculorum copia mensas onerassent. Quæ omnia certissima patrimoniorum exitia, evidentissimaq; ægre civitatis indicia sunt. Vnde tanquam è Pandoræ pixide, omnis generis mala agminatim proveniunt. Quid enim est quæso, varijs sese ingurgitare

B

cibus,

cibus, quam inquinare corpus, morborumque plurimorum causas præbere. Tolerabilius est, quod quis à fame patitur, quam quod à suavi illo superabundantiæ blandimento. Illa brevi temporis spatio hominem enecare consuevit; excessus verò ciborum putrefacit corpus humanum, & macerat ægritudine diuturna, & tandem morte crudeli consumit. O extrema gula turpitude! quæ non solum mentem effœminat, sed corpus enervat; non solum maculat animam; sed fœdat corpus, non occidit solum; sed & turpissime, nec sine magno salutis vitæque æternæ dispendio.

Hæc scilicet præclara illa peregrinarum nationum inventa sunt: quæ tantoperè admiramur, amplectimur; tamque firmiter, ne in desuetudinem veniant, retinemus. Ignoraret hæc regio, crediderim, Gallicam luem; non nosset quid Anglicus sudor, Affricana lepra, quidve alij innumerabiles pœnæ morbi essent, nisi ea cum peregrinis sibi met asscivisset. Videmus hæc, videmus inquam & experimur, proh dolor! cottidiè, & tamen adhuc tam cœcutimus, ut causam mali eliminare nolimus. Nonne me, Spectabilis Auditorum Corona, irrideres, si Scorpionem ad sinum meum accedentem, non modo non excuterem, sed allicerem; non repel-

lerem,

lerem, sed aditum aperirem? Rideres profectò,  
& iure quidem: nec rideres modò, verùm et-  
iam ut amentem derideres. Quid verò aliud  
nos facimus, quàm hoc ipsum, cum peregrinos,  
omnis huius mali architectos non excutimus,  
aut reijcimus, sed & invitamus, & eijciendos  
dissuademus? Longe consultius olim Spartani,  
ut suis legibus moribusq; solis viverent, omne  
civitatis ius peregrinis negarunt. Nec iniuria  
collaudatur Augustus, quod sincerum absque  
omni peregrini sanguinis confusione servans  
populum, Romanam civitatem parcissime de-  
derit, quippe ex quo corruptela morum orire-  
tur, nunquam corrigenda. Et Helvetij, quorum  
tanta fuit, est, eritq; nunquam—intermoritu-  
ra autoritas, fortitudinis laus, & rei bellicæ  
gloria, ut maxima etiam regna eorum socie-  
tatem percupiant? Vnde Remp. suam, eum ad  
modum stabiliverunt? qua ratione tuiti sunt?  
Peregrinarum, aliarumq; nationum, à quibus  
corrumpi possent, exclusione. Vnde paucò contēti,  
luxū, quem illi intulissent, omninò in suis igno-  
rant, aut certè minimè tolerāt. Ita ut etiā teste  
Philippo Comineo caso fugatoq; Carolo, præ-  
di ingentē nacti, nesciverint quid cepissent. Ta-  
bernaculū eius logè exquisitissimū, partitū fuit  
ab eis in multas partes, patinæ argēteæ pro stā-

Ph. Com.

neis sunt reputata. Adamantem ipseus toto orbe celeberrimum, cui erant appensi aliquot uniones, quidam ubi reperisset, in pixidem reposuit, mox sub currum abiicit, paulo post reversus sustulit, & sacrificio cuidam vendidit aureo nummo: is deinde à sui oppidi magistratu cui miserat accepit aureos duos. O beata simplicitas! quâ salvâ & integrâ, salva & immota stetit Helvetiorum Respubl. rimam agente, luxum illa paulatim amare cœpit. Cæterum quemadmodum ebriosis contingit, ut post longam potationem capitis sentiant dolores, ventriculi imbecillitates: Idem etiam per omnia peregrinorum istorum hospitem exceptoribus evenire consuevit; per luxum enim qui suis iam sunt exhausti sumptibus, succensent postea seductoribus, eosq; (sed serò) nunquam receptos mallent; imprimis verò cum ipsos honoribus & dignitatibus sibi prelatos animadvertunt. Inde simultates, odia occulta, nec rarò seditiones: ita ut verè dicat divinus Aristoteles: Gentis generisq; dissimilitudinem, seditionis segetem & materiam continere, proptereaq; seditionibus agitados esse, quotquot unquam advenas civitate donassent. Experti id sunt suo malo Bizantij, Apolloniatae, Antissæi & Syracusani, qui omnes ab ijs, quos

huma-

humanissimè receperant, in manifestissima pericula sunt coniecti. Quid dico de Veteribus? Notum est nostrâ etate, Scotiam validissimè commotam esse, ab ea Itatorum colluvie quam Maria Regina induxerat. Et quis ignorat laniam illam plusquam belluinam, quæ anno 72. Parisiis instructa erat, à Catharina Medicea Itala, eiusq; sectatoribus & popularibus, quos secum adduxerat, ortam? Ab eiusmodi tandem seditioibus eò devenitur, ut incolæ veteres ab hospitibus & inquilinis suis eijciantur sedibus. Hoc scilicet est didactrum & minerval, quod illi luxuriæ & levitatis magistri à suis discipulis exigunt. Hoc est quod Wirtembergicus quidam Dux solitus est dicere: Novus vestitus introducit novos mores; novi mores introducunt novos homines; novi homines expellunt veteres. Fabulantur, Erinaceum tempore hyemali accessisse vulpem, utq; se in foveam seu antrum suum reciperet, donec artus gelu contracti, pristinum vigorem reciperent, orasse. Annuit, alios astuta, hac tamen in re minùs cauta vulpecula, eumq; recepit: Erinaceus verò ut incaluit, delectatus habitaculo, cedere inde noluit, expelli non potuit, ita ut vulpeculam emigrare, sedemq; mutare coegerit. Et quid fabulis opus? Historiæ veris si-

me testantur, peregrinos hospites non nisi  
 tale premium exceptoribus suis persolvere.  
 Cum Trazenijs olim Sibarim augustissimam  
 civitatem coluerunt Achivi, concordēs diu ac  
 pacati, donec in immensum aucti Trazenios  
 urbe, plusquam Sibaritico scelere, eijcerent. Sic  
 Apolloniata in Ponto Euxino tranquillam e-  
 gerunt vitam, quamdiu peregrinis earum Resp.  
 vacavit: turbatam experti sunt, postquam in  
 hospites ingratisimos nimis pios se fuisse intel-  
 ligebant. Amphipolita quoque, receptis Chal-  
 cidensium colonis, quid sit anguem in sinu fo-  
 vere, suo malo didicerunt: Metuendum etiam  
 nobis, ne ex tali turba turbo aliquis turbulen-  
 tus nostris Rebusp. surgat: neve quos in luxu  
 habuimus Doctores, eos experiamur abducto-  
 res: aut, quorum vestes imitati sumus, eorum  
 etiam iura iugaq; subire cogamur. Certē cum  
 Darii vaginam acinacis Persicam iussisset mu-  
 tari in eam formam, qua Graeci utebantur:  
 protinus Chaldaei interpretati sunt, imperium  
 ad eos transiturum. Quod & illis contigit, &  
 nobis non gratiora minatur, nisi tot alienis pe-  
 riculis & malis edocti tandem sapere incipia-  
 mus. Caveamus & avertamus hanc à nostris  
 Rebusp. perniciem, quibus possumus consiliis at-  
 que viribus, neq; committamus ut nostris bene-  
 ficijs malevolos & maleficos nobis comparave-

veri-



verimus, aut ære proprio conduxerimus, qui ur-  
bes & agros nostros horribili incendio exurant  
devastentq̃. Nimis enim verum est, quod ma-  
gnus quidam Politicus, cuius ego gemmâ ora-  
tionem clausurus sum, memoriæ reliquit:

QVOD LOCUSTÆ SEGETI  
SVNT, ID ADVENÆ  
CIVITATI.

DIXI.



Ioh. Casus  
Sph. civ. l. 5.  
c. 3.

## ORATIO III.

De peregrinis in  
Rempublicam reci-  
piendis,

GUNTHERO - HEN-  
RICO PLATNERO &c.  
habita.



*L*lustissime D. Co-  
mes, Rector Academiæ no-  
stræ Magnificentissime, Vos-  
que reliqui Conmilitones ge-  
neris profapia, eruditionis ex-  
cellentia, virtutumq; splendore nobilissimi, cla-  
rissimi, ornatisimiq;: Multæ, inquam præcla-  
ræ, hodiernum Democriti circumferuntur sen-  
tentiæ. Scita tamen illa maxime est, & in  
paucis; quando veritatem, opinionum onere in  
profundo penitus abstrusam, latere inquit.  
Tanta enim, protoplastorum culpâ, genus hu-  
manum damnat caligo: ut quemadmodum iu-  
menta ad moles trusatiles alligata, illas qui-  
dem versant, cognitæ autem non habent: ita

nos

nos haut rarenter in ijs rebus versemur, quarum cognitione & penitiori intelligentia prorsus destituti sumus. Unde accidit, ut nulla opinio tam absurda, tamq̃ ab omni ratione aliena sit, quin suos habeat veluti sectatores atque adsecclas, qui sepe non aliter veritatem, atque apud Poetam Venus suum Æneam, nubibus involvunt atque nebulis: Ad quam caliginem discutiendam disputationum Sole nobis opus est, sine quo omnis nostra in hoc studio & stadio literario diligentia, mera quædam erit Andabatarum digladiatio. Illarum igitur beneficio, an veterem & nobilem illam questionem: Num peregrini in Rempub. recipiendi sint, in veritatis lucem vindicare possimus, tentabimus. Audistis autem modò & procul dubio calenti tenetis memoria, Illustrissimum Dominum COMITEM, oratione

Docta Jupiter & laboriosa,  
 Id est, tanto tanti Herois filio digna, omnes peregrinos non tantum à sella curuli, & fascibus, verum etiam inferioribus subsellijs, imò ipsis finibus & terminis Reip. exulare iussisse; A cuius Illustri & generosa magnificentia cum ego diversum sentiam, rationesq̃ divertendi oratiuncula hac quali quali in medium proferre, vestroq̃ acutissimo limatissimoq̃ subijcere

*iudicio, constituerim; vix invenio, quomodo  
 subterfugere possim, quin illius Illustris & Ge-  
 nerosa Magnificentia dicam mihi scribat, &  
 immodestiae causam agere iubeat. Iamq; mihi,  
 ut olim Socrati praesente Phaedro amorem vi-  
 tuperaturo, obvoluto capite perorandum esset  
 nisi tua, Illustris, magnificentissimeq; Domine  
 Comes, plus quam humana humanitas; vestra  
 que Collegae & auditores nobilissimi, clarissi-  
 mi, ornatisimiq; sublevaret benivolentia. Quod  
 igitur FAVSTVM ET FELIX SIT, ia-  
 cta esto alea; intrabimus arenam huius Circi,  
 & pro virili, quaecunq; etiam fortuna exceptu-  
 ra sit, desudabimus. Tu o Sancte o aeternae DE-  
 VS, dirige mentem linguamq; dicentis, ut haec  
 pro veritate suscepta pugna feliciter confecta,  
 laetum & theatricum illud ἀνδρείως ἔ καλῶς  
 lato hilariq; vultu pronunciare possimus. Vos  
 quoq; qui in Orchestra huius literarij theatri  
 spectatis, adeste & benevolentiae vestrae favore  
 vires mihi animumq; suscite.*

*Atq; ut inde nostra proficiatur oratio, di-  
 ligenter advertendum esse arbitror, ijs potissi-  
 mum rebus politias sive Respub. conservari at-  
 que augeri, quibus olim existere coeperint. O-  
 mne enim principiatum (ut ita loquar) natu-  
 ram sui principij & sequi & sapere ex prima*

philo-

philosophia, ea qua estis humanitate, iam dudum  
 nostis. Et profecto quemadmodum heliotropi  
 um natura sua semper obversum est ad solem:  
 ita haec sublimaria ad sua principia. Ut sum-  
 mus ille subtilitatum Prometheus Scaliger, &  
 Esse & conservari eidem principio eidemq; au-  
 ctori acceptum ferendum merito prodiderit.  
 Quod si igitur Conservatio nihil aliud est,  
 quam existentiae continuatio, irrefragabiliter  
 inde sequitur, Resp: earumq; civitates, nullis a-  
 lijs incrementis vel facilius augeri, vel conser-  
 vari firmitus, quam illis ipsis, quibus ortae sunt,  
 principijs. Videmus autem Politias sive civita-  
 tes non ex uno aliquo hominum genere, aut ho-  
 mogenea quadam societate primitus coaluisse,  
 quin contrario ex varia undique confluentium  
 hominum turba collectas. Cum enim admini-  
 culis ad sufficientem conservationem sui & sin-  
 guli destituantur, & universi indigeant: o-  
 mnia autem ista quae ad bene tutoq; vivendum  
 necessaria, ex unius generis hominibus capi non  
 possint, quis non videt, ab omni aeo & pacis &  
 praesertim belli tempore, haec a peregrinis con-  
 vocata? Et inde est, quod Phœnix ille philoso-  
 phorum Rempub: definiat, quod sit multitudo  
 collecta, cui ad bene tutoque vivendum omnia  
 suppetunt.

Exerc. 31.

3. Polit. 6.

Multi-

I. de Orat.

Bodin. l. 3.  
Pol. c. 7.Tull. II. de  
Orat.Plutarch. in  
Thes.Ioseph. 3. bell.  
Iud.Vide Poerium.  
I. Ctum  
celeber. de-  
cis. 13.

Iohā. Bodin.

Multitudinem vocat Aristot: quam Romanus sapiens cætus collectos. At multitudo ista quomodo collecta, si ex uno aliquo hominum genere? Quomodo copiosa & ad benè tutoq; vivēdum, (ut enim ei est finis) valida satis, si ex paucularum familiarum corpore prognata? Dicat mihi aliquis — — & phyllida solus habebit. Sed tandem à ruta ad puleium; & ne tantum vanis persuasunculis vobiscum agere videar, ipsam veritatis lucem vitæque magistrā videamus historiam, & quomodo ista plena cera nostræ subscribat sententiæ, intelligetis. Prodi tu græcorum nobilissime Theseu! dic qua ratione Athenas tuas tam populosas, tamque florentes reddideris? Prodi tu Imperatorum invictissime, terror quondam orbis terrarum, nunc admiratio, Alexander; dic, quibus artibus Alexandriam tuam tam celebrem & clarā effeceris? Prodi tu Gallorum prudentissime Ludovice II. da quibus modis Burdigalensium tuorū fortunas tam splendidè tamq; feliciter amplificaveris? Tu quoque ocelle civitatum, totiusq; Angliæ corculum Londinum prodi, & dic, per genium te quæso, an unquam tantis opibus, tantaque multitudine afflueres, nisi Richardus Rex Angliæ immunitate etiam proposita, quosvis peregrinorum

ad

ad tua iura vocasset? Tu tandem quam primo loco posuisse debebam, caput quondam & compendium mundi, Roma prodi; prode qua so, tui ortus incunabula! an non colluvies, & confluxus omnium gentium te ex Asilo Romuli peperit? annon ex collectâ totius orbis multitudine vires tibi sumfisti, atque robur? Annon remotissimæ etiam orbis terrarum partes suis hominibus tuum auxerunt atque firmaverunt imperium? Certè hinc & unica totius mundi civitas; & communis omnium dicebaris patria. Et meritò id tuo: quippe.

Libius l. 1.

Sidon. 1.

Fecisti patriam diversis gentibus unam

Rutilius.

Urbem fecisti, quod prius orbis erat.

Videtis ex his atque intelligitis, Respub: sive civitates Oceano cuidam non dissimiles esse. Quemadmodum enim ille sine fluviorum affluxu nunquam in iustam maris speciem ex crescere posset: ita neque civitas absque peregrinorum confluxu. Ex quo, peregrinos non tantum civitatis limitibus non arcendos; sed illis contesserationem hospitalitatis, ut alicubi vir sanctus loquitur, omniumq; civilium immunitatum privilegia benigniter humaniterq; deferenda esse tam liquido apparet, quam solis ra-

Tertull de præscrip.

Exod. 22.  
& 23.  
Levit. 19.

3. Offic.

dij esse solent cum sudum est. Et quei non cum insuper naturalis aequitas id suadeat: civilis iustitia approbet; divini vero iuris maiestas omnino etiam exigat. Nemini siquidem vestrum ignotum esse arbitror, quanta severitate Divina Maiestas advenas pietati nostrae commendet. Certè non tantum late & hospitio illos iuvandos, non tantum in civitatis album recipiendos, sed & insuper non secus atque cives omni humanitatis officio prosequendos severo sancitum mandato in Pentateucho Moysis extat edictum. Quin & ipsa Natura idem docere videtur. Cum enim illa nos homines esse voluerit: non salsugines simus & atræ biles; sed humanitatis studiosissimi mutuis officijs nos invicem amplectemur. Quid verò inhumanius, quàm peregrinum non admittere? quid inhonestius quàm advenam repellere? quid turpius, quàm hospitem eijcere? Nec fera feram expellit si Ambrosio fides; Et nos qui humanitatis cãditati, & quod gravius, Christiani etiam audimus, adeo omnem pietatem atq; hominem exuimus, ut nulla nobis verecundia sit, & hospites eijcere & advenas repellere. O Cyclopicam & Lestrigonicam inhumanitatem! ô sylvis & solitudinibus etiam execrandâ feritatem! ô turpitudinẽ non iam lacrymis sed sanguine eluendâ! Humaniores esse

Chri-



Christianis Ethnicos! Mitiora hominibus animalia! Pudet pigetque nostratum hominum, quoties Romanos intueor. Hi certe peregrinis gremium civitatis suae nunquam clausurunt: quin, quod miror, honorum etiam atque dignitatum portas iisdem apertas ac patentes esse voluerunt, Mores cuiusque non patriam spectantes. Quid frontem trahitis? Vera haec, & ex fide. Qui Municipales olim fuerint ex Agellii noctibus, quas verius lucas cum magno Tyraquello dixerimus, scire vos arbitror. Dicti his ut habet Pythagoras ille Ictorum, Vlpianus, quod munera cum civibus Romanis facerent. Quid ais Vlpiane? cum civibus Romanis Municipales fecisse munera? at qualia illa? patrimonialia arbitror, & personalia. Cives igitur eos fuisse oportuit, cum nemo damna rei & onus sentire debeat, qui non itidem commoda, ut est apud Paulum. Sed quid multis? cum Agellius dicto loco & alij alibi disertim eos inter cives Romanos censeant. Ad senatorium autem culmen Municipales quoque virtutis suae scalis adscendisse, commode ex L. L. nostris probare me posse videor. Et gratia sit tibi Hermogeniane, qui tam oportunè te mihi offers quando inquis, Municipem ad Senatoriam evehit dignitatem municipem esse desinere. Gratia tibi sit

L. 16. c. 12.

De Retract.  
ligna: glos.  
II.L. 1. ff. ad  
municip.l. secundum  
naturam ff.  
de reg. iuris.l. 23. ff. ad  
munic.

Paulus,

Senator. ff.  
de Senator.

Sub Tit. ubi  
Senatores.  
ff. de mune-  
ribus l. II. §.  
Etsi.

Paule, qui tam firmiter iuvas, & senatores non tantum ex municipijs, verum ipsis etiam colonijs, oriundos in alma urbe agnoscis. Et sane ad Valentis usque & Gratiani tempora hæc durasse, non obscure quis ex illorum Edictis, quæ habentur in Codice nostro, colliget. Modestinus denique legem illam, qua præferbantur in honoribus certæ conditionis homines, mitioris rescripti ascia dedolasse auctor est, ita nimirum, ut ætas, opes, patria & reliqua fortunæ potius quam animi subsidia, tum demum spectarentur, si idonei haberi possint homines; alioquin nihil vel paupertatem vel iuventutem vel patriam obstare posse. Et hæc ita & illius & retrorsiore sæculo observata fuisse nemini vel mediocriter saltem in historia Romana versato ignotum esse poterit. Magna hæc in peregrinos Romanorum humanitas dicam an prudentia? & eò clarior, quod non pauculis quibusdam parciproma manu fuerit appensa, sed in plurimas sæpè regiones toto horreo divisa & diffusa. Sabinos certè uno fœdere omnes civitati donarunt: Volscis verò, Tusculanis & Arpinatibus, quasi parum esset in civitatem recepisse, ius etiam suffragiorum communicarunt. Cæsar ille Iulius hostis aliàs, & oppressor Romanæ libertatis accerrimus, non se-

mel

mel non unam militum legionem civitatis iure  
 nobilitavit. Cuius per vestigia Augustus, &  
 reliqui Imperatores; progressi sunt, ut longo  
 heic catalogo pertexere possem, si quàm facile,  
 tam necessarium arbitarer. Vnus Antoninus  
 supergressus, qui unius Edicti vindicta, quot-  
 cunq; in orbe Romano erant homines in liber-  
 tatem civitatis Romanæ vindicavit, Vlpiano  
 teste. Sed heic obloquentes mihi audio? In  
 Rempub. Romanam posteaquam peregrinis  
 Asiaticis, & Græculis fenestellam saltim ape-  
 ruisset, velut agmine facto tota vitiosorum ho-  
 minum examina sese intulisse, quibus postea  
 non secus atque Actæon à suis canibus, aut vi-  
 pera à suo partu, lacerata atque exesa fuerit.  
 Vetus isthæc est cantio, scio, & non nemini ex  
 priscis, Senecæ cum primis, & Iuvenali decan-  
 ta. Sed verior illa vox: Romam non perisse,  
 quod esset Receptaculum peregrinorum, sed  
 quod vitiorum nutricula. Tunc enim inclina-  
 re fastigium, & magni sui lapsus præsentisce-  
 re ruinam cœpit, cum sentina omnium vitio-  
 rum referta, Herculem, qui Augiæ istud sta-  
 bulum perpurgaret, pati non posset. Et, per  
 Deum immortalem, quæi lapsus Romanæ Reip.  
 à peregrinorum receptione esse potuit; quæ &  
 illi, & hodienum nostris civitatibus maximum

C

semper

semper fructum, & utilitatem non contemnendam attulit. Hæc enim tantum abest, ut bonorum morum urtica sit; ut potius malorum sit medicina. Agite enim & animi saltim oculis hoc universum meum perlustrate! Nullam videbitis hodie gentem tam cultam esse, quin olim barbara fuerit & horrida. Vnde igitur illis morum nitor? nisi ab extero aliquo sole? Tu Regina gentium & medulla orbis terrarum Germania, fera olim & barbara; unde tibi tantæ humanitatis laureola? nonne ex Romanæ virtutis mustaceo? Tu Gallia, ferocissimarum gentium quondam nutricula, nonne ijs ipsis in aris, quibus olim Hærsilo & Saturno tuo tuam ipsius subolem (pro immanitatem!) mactare solebas, Gratijs litare & Charitibus à Romanis didicisti? Tu Britannia, barbarorum olim, non hospes, sed genitrix; quam non hodie gentem humanitate provocas & lepore? Tu Polonia, tu Lithavia, tu Livonia, speluncæ quondam, & Cyclopum latibula, cui quæso culturæ debetis vestre præconia: nonne Westphalis mercatoribus? Vos Hungari & in universum Pannonæ, unde vobis, quam iam habere videmini morum suavitas, nisi à Germanorum Italarumq; sale? Vos Scythæ, vos Tartari, vos Arabes, & reliqui non-populi; sed

feres

feces populorum, o utinam melior aliquis vos  
 DEVS respiceret! o utinam pacis amore tacti  
 nobilem Europæ splendorem vestris inferri te-  
 nebris pateremini! ah quam brevi, humanita-  
 tis isto sole animi vestri incalescerent? quam  
 brevi vitiorum vestrorum macula hoc morum  
 eluerentur sale? In sole qui ambulat, colorem  
 ex eo trahunt; quidni illi barbari etiam ab  
 humanitatis & virtutis fulgore trahere ali-  
 quid possent. Neq; verò hæc ita à me disputan-  
 tur, quasi vel totam aliquam gentem, vel quos-  
 vis promiscuè recipi debere existimem. Reci-  
 piantur qui iuvent potius quam destruant, qui-  
 que ita augeant Rempubl. ut nec numero &  
 potentia incolas æquent, neq; vitijs suis virtu-  
 tem illorum superent expugnentq;. Recipian-  
 tur unde sperari possint utilia commercia, unde  
 pecuniarum collectio, unde subolij fecunda co-  
 pia civiumq; frequens numerus, ac vires ad mi-  
 litiam: unde auxilia in dubijs, in adversis sus-  
 fugia. Quod cum non intelligerent Spartani,  
 exterorum nemini civitatis suæ portas patere  
 voluerunt, brevi igitur viribus exhausti, exte-  
 rarumq; gentium auxilijs destituti funditus  
 interierunt Xenophontis testimonio.

Melius consultiusq; nos agamus: Parcamus  
 tam impiè homines repellere, tam inhumaniter  
 advenas abigere, tam turpiter hospitē eijcere. Par-  
 camus culturæ & bonis morib. ianuā claudere

De Resp.  
 Spart.

& fores ; Parcamus eorum contemnere fœdera , quorum olim nobis salutifera esse poterunt auxilia : Parcamus eorum spernere amicitiam qui nostram sublevare poterunt inopiam. Sed iam ipsa oratio veluti Pallas Homerica manum mihi inicit, & tandem ad metam prope-  
randum inclamat. Faciam igitur quod olim in Circensibus agitatores, & septimum ingres-  
sus circum

Stat. 8.  
Theb.  
Ovidius.

Cum jam in fine viæ summum victoria  
nutat,

Fortius admissos loris agitabo jugales.  
ut tandem ad metam perveniamus , quam iam teneo : & finem dicendi facio, si Vos Commilitones nobilissimi, clarissimi, ornatissimi, Teq̄ adeo inprimis Illustriss : D. Comes ac Rector, Domine clementissime , prius rogavero , ut si forte minus ornatè aut copiose à me dictum sit, quam vel vestri splendoris dignitas , vel ipsius materiae postulabat gravitas, non tamen idcirco meum veritati patrocinandì studium improbetis. Quod ut faciatis maiorem in modum ea qua par est humili devotione peto & contendo.

DIXI.

Ad

# AD LECTOREM

Admonitio.

**Q**UAE legisti hactenus, Benevole Lector, exercitij gratia, & animi potius causa, quam ex animi sententiâ dicta esse memineris. Ideoq; nec Senatusconsultum aliquod Romanum, nec gravem aliquam & sine provocatione desinentem Imperii Sanctionem, ab aetate nostrâ juvenili, & parietibus privatis expectes.

Judicis officium est, ut res, ita tempora rerum,

Quærere: Quæsito tempore tutus ero.



AD LECTOREM

Admonitio.

Ue legisti habetis beneve-

re Lector, exactis gratia.

Et animi sollicitudine, quibus

ex animi sollicitudine hinc est

invenitur. Ideo nec separatis con-

sum ab ipso Romano, nec si quis a-

liam sine provocacione definitur

impeni sanctionem, ad alios hosti-

um, et pariterque prout ex


acta.

Judicis et hinc est, hinc est, ita

temporaria.

Quarta: Quarta temporaria

invento.






1007



Ung IV B 85

III





ORATIO  
 e nobili quaestione  
 Politica:  
 ET QVOMODO JU  
 nes in consilium sint ad  
 hibendi, &c.  
 Wittebergæ in Collegio  
 Oratorio.  
 Illustrissimi Dn. Comitis,  
**MERICI THUR-**  
**ZO DE ARWA &c.**  
 toris p. t. Academici, &c.  
*Præside*  
**REMIA SPIEGELIO,**  
 us Illustris, Magnificen  
 æ Studd. Ephoro &c.  
*habita*  
 a  
**ROLO à KOSTITZ**  
 Nobili Silesio,  
 WITTEBERGÆ,  
 bis M. Georgii Mulleri  
 Anno M. DC. XV.